



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. iij. Quotuplex sit categoria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

videlicet classes sunt exitium: proprium autem mediastinorum est vocari ad censum: nescit Imperatorum nomen classiariorum tributa persolvere. Categoriae carceres sunt, quorum nec dilatarum angustia possunt, nec amplitudo imminui: sed infinitas contineri custodia non potest, nec termino ullo claudi. Summa genera sunt categoriae: omnino sub genere & differentia diuinitas non est, inquit nuper Cyrillus. Poterit enim eiusdem nobiscum generis esse Deus, qui consors esse non potuit seruitutis? Licuerit sane Romano quondam laudatori, Traianum Principem vnum vocare de multis. *Imperaturus omnibus*, inquit, *eligi debet ex omnibus*. At Principis Dei alia longè ratio est, quem vnum imperantem omnibus, summa vnitas vnum esse vetat ex omnibus, summa puritas vnum esse negat de pluribus, summa infinitas vnum facit esse sine omnibus. Concludo cum Theoriano in legatione: Deus vltimasubstantialis est, & supra omnem positus essentiam, & si quid his vltius est.

SECTIO III.

Quotuplex sit categoria.

Diuisionem entis in decem prædicamenta factum esse ingenij Aristotelici, multi asserunt cum Auerroe, alij Archytam Tarentinum primum autorem esse celeberrimi huius numeri volunt cum Iamblico. Amplexi deinceps sunt denarium illum, & suo pretiosum suffragio effecerunt omnes eruditi, etiam Catholici Doctores, Augustinus in suis categoriis, Damascenus in Dialectica, Isidorus, & plures alij.

Sed reuocarunt tamen distinctionem hanc ad examen, & longo iam senio confirmatam auctoritatem, septem peccatorum mortalium ream suo iudicio condemnarunt iuniores quidam Philosophi, partim fortasse attendentes quot Doctores, imò quot soles, suo illo austero, ne dicam præcipiti, rigore obsecrate niterentur. Ego maiori cum reuerentia, tot Doctorum hominum canos veneror, amplector doctrinam, prudentiam miror, & tria statuo: primum, an commodè diuiserint decem categorias: secundò, an ponere illi rigorosè potuerint plures quàm decem: tertio, an potuerint etiam ponere pauciores.

Ratio dubitandi.

Ratio enim dubitandi esse potest, quia sicut vnicum prædicamentum substantiæ, sic vnicum potuit esse prædicamentum omnium accidentium: vel certè sicut nouem prædicamenta sunt accidentium, sic plura excogitari poterunt prædicamenta substantiarum; erit enim substantia spiritalis, rationalis, sensitua, &c. Imò facilius & verior esse potuit diuisio entis in substantiam & accidens: est ergo vitiosa hæc diuisio, præsertim cum facile fuerit alia excogitare genera, in quæ accidens posset diuidi.

Commoda est diuisio.

Dico primò, commodè omnino ac rectè decem numerari prædicamenta, substantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, vbi, quando, actionem, passionem, situm, esse, habere.

Ratio affertur ab Aristotele, quia tot constitui commodè possunt categoriæ, quot sunt modi vniocum, & primò diuersi essendi & prædicandi de prima substantia: decem sunt illi modi; vel enim illi pertinent ad quæstionem *quid est*, & est substantia; vel ad quæstionem *quantum est*, & est quantitas; vel ad quæstionem *quale est*, & est

A qualitas; vel *quid respicit*, & est relatio; vel *quid agit*, & est actio; vel *quid patitur*, & est passio, vel *in quo loco est*, & est vbi; vel *quo tempore est*, & est quando; vel *quomodo situm est*, aut *quomodo vestitum*, & sunt situm esse, & habere: ergo comoda est diuisio in decem prædicamenta, cum per eam cognoscatur plenissime quid, quantum, quale, ad quid, quo loco, quo tempore, quid agat, quid recipiat, quo situ, quo habitu completum aliquod indiuiduum. Imò à priori hæc sit ratio, quia diuisio entis, si habuisset pauciora membra, fuisset obscurior; si habuisset plura, fuisset molestior.

B Dico secundò diuisionem hanc non ita esse rigorosam, ut plura quàm decem non potuerint poni prædicamenta.

Ratio est, quia cum pleraque prædicamenta accidentaliter denominationes tantum sint extrinsecæ, potuerunt alia plures excogitari, quæ pari iure novas constituerint categorias; esse amatum, esse cognitum, esse honoratum, esse Canonicum, esse Medicum, esse Doctorem, esse Regem, habere uxorem, & alia huiusmodi, quibus difficile inueniatur locus in decem prædicamentis; non enim sunt quantitates, aut qualitates, aut relationes, &c. Similiter esse liberum, esse bonum aut malum, esse dominum, esse seruum, loqui, dormire, vigilare: nulli ex enumeratis categoriis possunt tribui, neque sunt minùs complete denominationes quàm alia.

C Dico tertio, potuisse quoque in rigore pauciora poni prædicamenta, quàm decem.

Ratio est, quia substantia completa & accidens completum duo sunt genera vniocum: ergo ens in illa duo diuidi potuit prædicamenta. Probatur antecedens. Illud vniocum est, quod neque includit differentias contrahentes, nec in illis includitur: huiusmodi sunt substantia & accidens: cum enim differentia, tum substantia, tum accidentis incompletæ sint, implicat ut contineantur in illis rationes completæ, tum substantia, tum accidens: ergo potuerunt substantia & accidens esse duo tantum prædicamenta, non enim affert potest ratio, cur differentia substantiales sint incompletæ in ratione substantia, non autem differentia accidentis.

D Instabis primò, si vniocum est accidens completum, quia contineri non potest in suis differentis incompletis, similiter ens completum erit vniocum, quia non potest contineri in differentis incompletis.

Resp. differentias entis esse completas in ratione communissima entis, quia cum ratio entis sit omnium prima & transcendens, immediatè opposita non enti, non potest in vilo reperiri, quin tota reperiat; alioqui si esset aliquid, in quo non tota reperiretur, illud non esset omnino ens, sed esset partim ens, partim non ens. Hoc autem non reperitur in differentiis substantia & accidentis, quæ sunt incompletæ.

E Instabis secundò. Illud est completum in ratione substantia & accidentis, cui conuenit tota definitio substantia & accidentis: sed tota definitio substantia conuenit differentiis substantialibus; & tota definitio accidentis, conuenit differentiis accidentalibus: ergo ille complete sunt.

Resp. negando totam Definitionem substantia complete, quæ scilicet ad compositionem alterius prædicatur in quid, conuenire differentiis accidentis

accidentalibus; quibus tamen conuenit definitio substantiæ, prout præscinditur à completa & incompleta. Ex quibus ad totam rationem dubitandi nihil superesse videtur quod egeat resolutione.

QVÆSTIO IV.

De nouem categoriis absolutis.

Absolutas voco categorias omnes, præter relationem, etsi certum mihi sit, plures ex illis esse relatiua transcendentalia, quod non impedit, quin dici possint etiam absolutæ, ut distinguantur à relatione categorica, quæ tota respectiua est. De nouem ergo illis generibus categoricis pauca quædam duntaxat supersunt, quæ dicenda esse videantur post ea quæ de illis disputata sunt alibi.

SECTIO I.

De substantia categorica.

Non considero hîc propriam rationem substantiæ, quam nuper exposui quantum satis erat, prout differt ab accidente, dictaque substantia est, prout substat accidentibus, vel prout subsistit per se, idest prout exigit esse in se omnino completa & terminata. Proprietates eius enumerantur aliquæ à Philosopho, in quibus non est difficultas huius loci propria: non esse in subiecto inhaesionis completo, quæ proprietas non est, sed primus conceptus substantiæ: vniuocè ac essentialiter prædicari de primis substantiis, idest de indiuiduis, quod solius secundæ substantiæ, idest generum & specierum proprium est, ut patet: significare hoc aliquid, idest substantiam aliquam completam singularem, quod soli conuenit primæ substantiæ: non habere contrarium, quia substantia subiectum non habet; contraria verò dicuntur, quæ ab eodem subiecto se mutuo expellunt: non suscipere magis & minus, idest non intendi, nec remitti, quod disputatum est in Physica, tractatu 3, suscipere posse contraria, v.g. calorem & frigus successiue.

De substantia itaque solùm hîc disputo, prout est categoria, siue prout est summum genus, sub quo dispositæ sunt plures species vsque ad indiuiduum; & quæro primum, quid sit substantia illa, quæ in hac categoria est summum genus: secundò, quomodo illa diuidatur in primam & secundam substantiam; qualis diuisio illa sit, & quodnam in ea sit totum diuisum.

Ratio verò dubitandi est primò, quia quando definitur prima substantia, vel definitur aliquid commune, vel aliquid singulare. Si definitur aliquid commune: ergo non definitur prima substantia, quæ significat singulare; sed definitur secunda, quæ significat substantiam vniuersalem. Si definitur aliquid singulare: ergo illa definitio non est communis omnibus primis substantiis.

Secundò illa diuisio substantiæ in primam & secundam, non videtur esse adæquata, quia partes substantiæ, v.g. manus & caput, neque sunt in subiecto, neque dicuntur de subiecto; idè substantiæ sunt, non primæ, neque secundæ: ergo

A diuisio hæc non valet, neque Aristoteles rectè definiuit primam substantiam.

Tertio si bona est hæc diuisio substantiæ in singularem & vniuersalem; substantia quæ diuiditur in hæc duo membra, est substantia summum genus in hac categoria: hoc autem absurdum est, quia tunc vitiosa est diuisio, quando totum diuisum est vnum ex membris diuisionis; alioqui totum erit æquale suæ parti; sed in diuisione substantiæ prædicamentalis, & genericæ in primam & secundam, totum diuisum est vnum ex membris diuisionis, quia secundæ substantiæ sunt genera & species: totum autem quod diuiditur, est genus ad membra diuisionis: ergo totum quod diuiditur est vnum ex membris, in quæ diuiditur; sicque aliquid diuiditur in seipsum, & in aliud aliquid: quo nihil dici potest absurdius.

Dico primò, substantiam prædicamentalem, siue summum genus in categoria substantiæ, esse substantiam completam, & finitam essentialiter.

Summum genus huius categoriæ.

Ratio est, quia illa sola vniuocè prædicari potest de suis inferioribus; substantia verò, quæ præscinditur à completa & incompleta, ab infinita & finita, solùm analogicè communis est, ut satis probatum est questione prima: quod non impedit, quin Christus Dominus, quatenus homo, ponatur in categoria; non enim hinc sequitur, quod personalitas Verbi secundum se sit ens categoricum, sed tantum ratione humanæ naturæ, cui est vnita in vnitatem personæ. Vnde neque hinc sequitur, quod Deus, ut Deus, sit in prædicamento.

Dico secundò. Diuisio substantiæ in primam & secundam, idest in singularem & vniuersalem, non est diuisio generis in duas species, sed est diuisio subiecti in duo accidentia, quorum vnum est reale, alterum intentionale.

Diuisio substantiæ in primam & secundam.

Ratio est, quia tunc non est diuisio generis in species, sed subiecti solùm in accidentia, quando differentie membrorum diuidentium non sunt essentielles, sed accidentales & toti diuiso, & membris diuisis: sed singularitas & vniuersalitas, quæ constituunt substantiam primam & secundam, sunt accidentales substantiæ, quæ diuiditur, & substantiæ singulari ac vniuersali, quæ sunt membra diuidentia; natura enim secundum se nec est singularis, nec vniuersalis; singularitas enim, & vniuersalitas sunt extra conceptum naturæ: ergo diuisio substantiæ in primam & secundam est diuisio subiecti in duo accidentia, quorum alterum, nempe singularitas, est reale, quia conuenit naturæ per operationem intellectus; alterum, nempe vniuersalitas, est intentionale, quia conuenit illi per intellectum, etiam, ut probabam aliàs, sit etiam reale, sed extrinsecè ac denominatiue. Est igitur diuisio ista similis ferè isti alteri hominum, *Alij sunt albi, alij nigri.*

E Dico tertio. In hac diuisione totum diuisum non est substantia summum genus in hac categoria, sed est substantia completa, prout præscinditur ab existentia, vel ab actuali subsistentia.

Totum diuisum in hac diuisione.

Ratio est, quia substantia summum genus prædicatur essentialiter de suis inferioribus: substantia quæ diuiditur in primam & secundam, non prædicatur essentialiter, cum existere singulariter, aut vniuersaliter, accidentia sint substantiæ;

aut